

No. 511. 1359. 2. Juli.

B. Johann verzichtet auf zwei Hufen in Sahlassan zu Gunsten einer Vicarie, der sie schon früher zugeeignet worden.

In nomine domini amen. Universa negotia quae stare cupiunt in statu solido litterarum fiunt a testimonio firmiora. Nos igitur Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Myssnensis recognoscimus — quod licet fuerimus in possessione duorum mansorum feodaliū sitorum in villa seu in pago villae dictae Saleze, quos quidem mansos quondam strenuus Johannes dictus Grellinhayn et sui heredes aliquamdiu possidebant, et nunc Johannes Kolplacz possidet, de quibus duobus mansis dictus Johannes Kolplacz cum uno equo feodali quotiescumque requisitus nobis servire tenebatur, tamen cum per litteras et privilegia patentia desuper confecta plenius fuisset informati, quod iidem mansi cum aliis mansis et bonis in dicta villa seu pago villae Saleze situs fuissent et sunt per reverendos in Christo patres dominos Bruhnonem et Rudolfum quondam Nuenburgensis ecclesiae episcopos felicitis recordationis de mero consensu capituli dictae Nuenburgensis ecclesiae rite et rationabiliter ex causis legitimis venditi et iusto proprietatis titulo appropriati vicariae et altari sanctorum Laurentii martyris et Nicolai confessoris sito in ecclesia nostra Myssnensi, ad usum vicarii pro tempore eiusdem vicariae, nos advertentes, quod eosdem mansos seu equum feudalem habebamus et possidebamus de facto, propter quod de consensu capituli dictae nostrae Missnensis ecclesiae, eosdem duos mansos feudales, quibus cum equo feodali ut praemittere serviri debet, restituimus cum iure, utilitate, servitio et fructu discreto viro, domino Andreae de Kottebus vicario et rectori dicti altaris ac suis successoribus pro tempore, perpetuis temporibus habendos et possidendos, nihil iuris et servitii — nobis et successoribus nostris reservantes, et quod pro eadem restitutione ex dictis rationabilibus causis facta iustae emptionis et venditionis tamen titulo interveniente, a memorato domino Andrea recepimus sex sexagenas latorum grossorum in parato nobis solutas, pro quibus mediam sexagenam annui census dictae nostrae ecclesiae Myssnensi in restaurum intendimus comparare. Ut autem praedicta restitutio et donatio perpetuam roboris firmitatem obtineant, praesentem nostram litteram dedimus maioris nostri sigilli munimine roboratam. Testes autem sunt reverendus pater dominus Franko episcopus Lerossensis noster suffraganeus, et honorabiles ac discreti viri domini Nycolaus Ebirhardi, doctor decretorum, canonicus, Syffridus Hanfmuz et Albertus Eckehardi, maiores¹⁾ vicarii dictae nostrae Missnensis ecclesiae, nec non strenui et fideles nostri Johannes de Milticz senior miles, Henricus de Scheryn, Theodericus de Rechinberger, Walczko eius filius, et alii quam plures fide digni. Datum et actum in Missna anno dom. M^{mo}. CCC^o. LIX^{no}. secunda die mensis Julii.

Et nos Johannes de Streliz praepositus, Theodericus de Goch decanus totumque capitulum praedictae ecclesiae Missnensis restitutioni, iuris abrenunciationi supra-

1) Syffridus et Ebirhardus maiores B.